



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreviatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XVIII. De Servis non Ordinandis, & eorum Manumissione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63440)

gulares ex proprio delicto, quàm irregulares ex delicto alieno, & ex defectu. Adde, quòd sub voce *delicti* in lata acceptione etiam venire possit *defectus*, ex aliquo tamen delicto ortus. Ergo, si defectus natalium sit occultus, seu non notorius, probabiliter in eo dispensare concessit Episcopus Tridentinum. Accedit, quòd dici valeat, Tridentinum in suo privilegio Episcopis concessio vocem *delicti* retulisse ad *suspensiones*, non ad *irregularitates*; cum irregularitates sæpe contrahantur absque delicto, suspensiones nunquam sine delicto.

Quamvis verò privilegium hoc & facultas dispensandi in vitio Natalium sit latæ interpretationis, ipsa tamen actualis dispensatio, quia derogat Juri Communi, strictè accipienda est. Quare simpliciter dispensatus ad Ordines, ad beneficia &c. non hoc ipso ceusetur dispensatus ad Ordines Majores, ad beneficia curata &c.

## TITULUS XVIII.

### *De Servis non ordinandis, & eorum Manumissione.*

#### SUMMARIUM.

1. *Servi alii sunt propriè, alii impropriè tales.*
2. *Omnes sunt irregulares.*

**S**ervi alii sunt propriè tales, qui nempe I  
contra naturalem libertatem Jure Gen-  
tium alieno dominio instar jumentorum

M 4

sub-

subjecti sunt, quod fit vel captivitate in bello  
 iusto, vel nativitate, si quis nempe ex matre serva  
 seu ancilla strictè dicta, natus est. Tales inter  
 Christianos non dantur in reverentiam nominis  
 & libertatis Christianæ, in quam nos Christus ad-  
 seruit. Alii autem sunt improprie tales, nimirum  
 homines *adscriptitii*, & qui ex istis gene-  
 rantur, *originarii*, vel, ut aliqui vocantur, *prop-  
 prii*, *Leibaigne* / qui nimirum dominis suis non  
 solum ratione bonorum & possessionum suarum,  
 uti emphyteutæ, & feudatarii, sed etiam perso-  
 naliter devincti sunt, vel ad colendos agros, aliâ  
 ve obsequia perpetuò adscripti, ita ut sine eo-  
 rum voluntate, consensu, seu manumissione ab  
 hac cultura, vel obsequiis recedere non possint.  
 Qui à servitute per domini consensum dimittun-  
 tur plenè, vocantur *manumissi*, qui verò non  
 plenè, sed sub conditione operarum tempora-  
 lium, ex personali obligatione adhuc præstanda-  
 rum, dicuntur *liberti*, vel *libertini*.

2 Dico. Nec servi proprie dicti: nec liberti:  
 nec homines adscriptitii, originarii, & proprii,  
 licitè ordinantur, *t. h. t. de servis non ord.* item  
*can. 1. 5. 12. 21. & fin. d. 54.* Consentit com-  
 munitatis DD. & praxis. Ratio est, quia dignitas  
 Clericalis non convenit conditioni servili, & ho-  
 rum hominum vilitati. Neque sine injuria Do-  
 minorum hi homines possunt abstrahi à debitis  
 servitiis & obsequiis, quæ cum ministerio Eccle-  
 siæ compatible vel non sunt, vel sine indecoro  
 præstari nequeunt.